

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Bernoulli

Theses Juridicæ Miscellaneæ


Basileæ: Typis Joh. Ludovici Brandmülleri, [1722]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1029143161>

Druck Freier  Zugang



K. K. - 2 (44.)



1a

THESES JURIDICÆ MISCELLANÆ,

Q V A S

DIVINA GRATIA ADJUVANTE

Iussu & Auctoritate Amplissimi & Ctorum Ordinis,

Pro

VACANTE INSTITUTION. CATHEDRA

Examini Publico submitit

NICOL. BERNOULLI,
JOH. FIL. J.U.C.

Ad Diem XVII. Iulii, MDCCXXII.

H. L. Q. S.



BASILEÆ.

Typis Joh. Ludovici Brandmüller.

MISCELLANIA

Q. N. S.

DIVINAE GRATIA ADIUVANTIA

ACVENTE INSTITUTIONE CATHEDRA

NICOL. BERNARDI

JOH. ELL. IUC.

ANNO X. MDCCXVII.

H. O. 2



UNIVERSITATIS

ROSTOCKENSIS LIBRARIA

ta fu
exhil
lis fa
Jure
servi
alio
a nat
quea

H
crede



THESIS I.



Ostquam pro vacante Institutionum Imperialium sede disputare constituisse, e re maxime fore existimavi si thesium loco examinanda Publico offerrem ea quæ circa ipsasmet Institutiones, brevi illo tempore quo ex Italia in Patriam redux, tumultuarie mihi observata fuerunt.

Primum se mihi obtulit Libertatis definitio quam exhibet Imperator §. I. *Inst. de Jur. Pers.* quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut Jure prohibetur. Hæc definitio neutquam libertatem a servitute distinguere videtur, cum non appareat quo alio modo quid prohiberi possit, ita ut ne servi quidem a naturali illa facultate faciendi quicquid libet coerceri queant, nisi hoc aut vi aut Jure fiat.

II

Hanc igitur definitionem priori substitui satius esse crederem, quod sit *Constitutio naturalis qua quis nullius*

A 2

Do-

Dominio subjicitur. Ex qua colligitur non solum libertatem cuivis Jure Naturæ competere, sed simul quomodo a servitute differat elucescit.

III.

Circa quæstionem quæ formari solet de iis qui in utero sunt num pro jam natis habendi sint nec ne, vulgo distinguitur secundum L. 7. ff. de Stat. Hom. an de ipso commodo agatur an non. Priori casu affirmatur posteriori vero negatur. Hæc regula tam universalis vix esse videtur quæ non possit aliquibus in casibus suas quoque pati exceptiones. Exemplum peto ex §. pen. Inst. Quib. mod. Pair. Pot. solv. ubi dicitur quod partus post emancipationem filii ex nuru natus sed ante emancipationem conceptus nascatur in Potestate Avi emancipantis non vero Patris emancipati. Ex quo infertur non natum perinde ac si in rebus humanis jam esset nonnunquam haberet, etsi de ejus commodo non agatur, cum parum ejus interesse debeat an in potestate Avi an Patris nascatur.

IV.

Ab hostibus captus fit eorum servus §. 5. Inst. Quib. mod. Pair. Pot. solv. adeoque amittit inter reliqua etiam Jura cognitionis. Postea manumissus & ad suos reversus queritur utrum Jura cognitionis recipiat nec ne? Nos etsi ex §. 6. Inst. de Cap. Dem. contrarium sequi videatur, hoc affirmandum censemus Jure Postliminii, nec credimus id quod in dicto §. 6. generaliter de servis dicitur, extendi quoque debere ad eos qui ab hostibus capti

(5)

capti in servitutem redacti sunt , cum de Republica bene meritis ipsum suum meritum damnosum esse non debeat.

V.

Alienationem rerum pupillarum quæ servando servari non possunt Tutori permisam esse ex ipsa Tutelæ natura colligitur. Attamen non qualescumque alienationes , sed tantum illas quæ pupillo lucro cedunt hic intelligi debere sana ratio suadet. Hinc prohibentur alienationes quæ in speciem donationis cadunt L. 16. C. de Adm. Int. Sed inter has etiam referendas esse donationes remuneratorias vix affirmarem quia has potius tanquam solutionis speciem considerandas esse puto.

VI.

Magnam inter causas Judiciales & Testamentarias ratione testium interesse differentiam nemo est qui ignoret. Sic quod ad Testatorem, prohibentur testes esse tantum illi qui ratione Patriæ Pôtestatis cum illo coniuncti sunt ; qui ratione sanguinis tantum, non item,

VII.

Rationem hujus differentiæ reddit Hoppius in Comment. ad §. 9. de Testam. ord. quia in causis Judicialibus plerumque verlatur interesse ejus cui testimonium dicitur , non ita in causis testamentariis , quippe ubi non Testatoris sed Heredis comodum versatur. Et hanc ob rationem modo allatam differentiam inter causas

A 3

Ju-

Judiciales & Testamentarias non admittit quoties de Persona Heredis agitur , cum hoc in casu versetur interesse ejus cui testimonium dicitur . Verum hanc rationem admittere nullo modo possumus , cum alias non solum Legatarii & Fideicommissarii , & qui in horum potestate sunt , sed & qui sanguinis vinculo ipsis sunt juncti a testimoniis excludi debuissent , utpote quorum interesse æque ac reliquorum hic versatur , qui tamen omnes §. II. d. 2. aperte admittuntur . Nec est quod dicat modo citatus Auctor horum non interesse primario , sed secundario tantum & per consequentiam , quia si ad finem spectemus ob quem quis in propria & propinquorum causa a testimoniis dicendis arcetur , ne scilicet utilitate sive propria sive propinquorum inductus veritatem celet vel fallsum loco veri obrudat , si inquam ad finem hunc spectemus statim cuivis attendenti patebit eundem æque ad Legatarios aut Fideicommissarios quam ad Heredem se extendere .

VIII.

Imo hanc rationem nimium probare statim appetet ; si enim ei qui Testatori ratione sanguinis juncti sunt ad testimonium admittuntur ex eo tantum quod in causa testamentaria ipsius Testatoris interesse non versetur , quid ni etiam qui ratione potestatis ipsi sunt conjuncti testes admittuntur , cum exemplum Legatariorum & Fideicommissariorum (qui ipsis ad testimonium admittuntur) luculenter demonstret identitatem personæ quam Jura fingunt inter personas patriæ potestatis vinculo junctas in causis testamentariis validitatē testimoniorum non obesse .

X.

(7)

IX.

Malumus igitur hujus rei rationem ponere partim in
bene placito LLatoris cuius voluntas nobis pro ratione
stare debet , partim in numero testium qui in ultimis
voluntatibus intervenire solent , quorum major nume-
rus defectum modo allegatum supplere potest.

X.

Et hanc ob causam differentiam circa testes inter
Causas Judiciales & testamentarias extendendam esse
non solum ad Personam Testatoris seu Legatarii vel Fi-
dei commissarii , sed & ad ipsum heredem censemus.

XI.

Si Argumentum Imperatoris quo utitur pr. §. I. 2. 3.
& 5. Inst. de Obl. qua quasi ex contr. tanquam justum admit-
timus , sequitur nullam esse distinctionem inter pacta
nuda & non nuda , nec ex his tanquam expactis sed tan-
quam ex contractibus vel quasi obligationem nasci , cum
alias quatuor obligationum causis ab Imperatore dd. §§.
recensitis accederent duæ aliae pacta nimirum Legitima
& Adjecta ,

XII.

Hinc secundum Imperatoris Principium referenda
forent pacta Legitima ad quasi contractus , cum reliquis
tribus causis nullomodo annumerari queant.

XIII.

(8)

XIII.

Pa&ta vero adjecta non aliter quam pars ipsius contractus cui annexa sunt, adeoque insunt ut dicit L. 7. §. 5. ff. de Pact. considerari possunt.

XIV.

Interim tamen omnibus argumentandi rationibus quæ in Corpore Juris reperiuntur nobis standum esse vix crediderim. Exemplum nobis esto argumentum Ulpiani quo utitur Lib. 4. ff. de Cond. ob turp. caus. ubi dicit quod meretrix quidem turpiter faciat quod sit meretrix, non turpiter accipiat, cum sit meretrix; adeoque quod meretrici datur non ex eo non repeti posse quod utriusque turpitudo versetur, sed solum dantis. Quasi vero non eodem ratiocinio affirmari posset turpiter quidem facere scortatorem quod sit talis, sed cum sit, non turpiter dare; Imo hoc ratiocinium extendi quoque posse ad sicarios & generaliter ad omnes qui ex turpi vita genere alimenta querunt, nemo non videt. De qua tamen ipse Ulpianus procul dubio vix convenisset.


XV.

Sic etiam Imperator in recensione specierum mandati pr. Inst. de Mand. insufficientem commisit enumerationem, ut statim animadventent qui combinationum doctrinæ non plane sunt ignari: Omisit enim sextum mandati contrahendi modum qui sit simul Mandantis, Mandatarii, & Extranei gratia.

XVI.

Constitutum quoniam actionem sui nominis producit, contractum nominatum potius quam pactum esse dicimus.

F I N I S.



(8)

XIII.

Pa&ta vero adjecta non aliter quam pars ipsius contractus cui annexa sunt, adeoque insunt ut dicit L. 7. §. 5. ff. de Pact. considerari possunt.

XIV.

Interim tamen omnibus argumentandi rationibus quæ in Corpore Juris reperiuntur nobis standum esse vix crediderim. Exemplum nobis esto argumentum Ulpiani quo utitur Lib. 4. ff. de Cond. ob turp. caus. ubi dicit id meretrix, quidem turpiter faciat quod sit meretrix, non turpiter accipiat, cum sit meretrix; adeoque quod meretrici datur ex eo non repeti posse quod utrinque turpitude versetur, us dantis. Quasi vero non eodem ratiocinio afflisset turpiter quidem facere scortatorem quod sit cum sit, non turpiter dare; Imo hoc ratiocinium quoque posse ad sicarios & generaliter ad omnes vitæ genere alimenta querunt, nemo non sua tamen ipse Ulpianus procul dubio vix

XV.

operator in recensione specierum mandati A. d. insufficien tem commisit enumeratione animadvertis qui combinationum doctrinae sunt ignari: Omisit enim sextum mandati contraria, & simul Mandantis, Mandatarii, & c. tia.

Constituti
cit, contracru
dicimus.

XVI.

ctionem sui nominis produ
m potius quam pactum esse
S.

